



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censbris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 2. Vtrum Homo dicatur vniuersitate deo, & de paulo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](#)

96 Qu. 16. De cōsequēntib. unionē secund. esse fieri. A. 2. D. 1. 2. 3. 4.

batum est eundem esse Deum & hominem. Cū enim Christus sit verus Deus, & verus homo; etiam oportet, vt Deus sit verus homo; & homo sit verus Deus.

Ratio prioris est; Quia persona Filij Dei, est suppositum seu hypostasis humanæ naturæ. Ergo persona Filij Dei verè & propriè dicitur homo. (Nam de quolibet supposito naturæ, propriè prædicatur nomen significans illam naturam in concreto; vt homo, de Petro & Paulo.) Ergo Deus verè & propriè dicitur homo. Patet hæc secunda consequentia; Quia nomen Deus, propriè potest supponere pro quāuis personâ diuina.

Ratio posterioris est; Quia homo potest supponere pro quāuis hypostasi naturæ humanæ; ergo pro persona Filij Dei; ergo sicut Filius Dei propriè dicitur Deus; ita hic homo, propriè dicitur Deus.

D V B I V M . I.

*Vtrum Deus, in hac propositione: Deus est homo, sumatur definitè pro personâ Verbi, an indeterminatè pro quāuis personâ diuinâ?*

R<sup>3</sup> Espondeo; Si sp̄ctes vim & propriam significationem, accipitur indeterminatè; Nam esset vera etiam Pater vel Spiritus sanctus esset homo. Si tamen communem vsum spectemus, sic accipitur determinatè pro Verbo: vt docet hic D. Tho, Nam Christiani solē intelligere Verbum,

Dices; hæc, Deus non est homo, est falsa. Et tamen vera, si Deus, acciperetur indeterminatè; quia Pater non est homo. Respondeo; Deus, in propositione negatiuâ, accipitur pro omnibus personis; nam significat rem individuam, de qua negatio absolute tollit attributum.

D V B I V M . II.

*Vtrum homo dicatur vniuocè de Deo & de Paulo?*

O<sup>4</sup> Missis sententijs, quæ verbis potius quam re discrepant. Respondeo, dici vniuocè. Ratio est; quia secundum eandem rationem Christus dicitur homo, quā Paulus: eifudem enim rationis & speciei est natura humana in nobis, & in Christo; vt fides docet. Neque verum est; quod homo significet etiam subsistentiam: quia tantum significat naturam humanam cum aptitudine ad subsistendum, idque indeterminatè sive hæc sive illa subsistentia.

Dices; Homo dicitur de Paulo per se, & formaliter considerato, non item de Deo: Deus enim vt Deus non includit esse hominem: ergo non vniuocè. Respondeo; Inde tantum sequi modum attributionis diuersum esse, & non vniuocum: ipsum tamen attributum est vniuocum, & vniuocè predicator; quia secundum eandem rationem predicator, licet illa eadem ratio diuerso modo conueniat: sicut alium dicitur vniuocè de hoc albo, & de Petro.

D V B I V M . III.

*Vtrum hoc locutio sit propria: Deus est homo?*

R<sup>5</sup> Espondeo; Essere propriam: & patet ex ratione allata. Et Confirmatur; Quia si impro-

priè Deus esset homo, potius dicendus esset non homo, quam homo. Et beata Virgo propriè non esset Deipara: quod est contra Concilia & Patres citatos q. 2. a. 2. dub. vñico.

Aduerte tamen, Durandum in 3. dist. 4. q. 2. admittere quidem hanc esse veram & propriam locutionem; non tamen esse tam propriam, quam hæc: *Paulus est homo*. De quo non existimo magnopere contendendum; modo fatcamur nullam esse improprietatem in hac; *Deus est homo*. Nam ad proprietatem orationis sufficit, ut seruatā propriā significatione terminorum, secundum vñitatum loquendi modum, attributum verè conueniat subiecto: quod fit in proposito.

Dices; Deus propriè est humanatus: ergo non dicitur propriè homo: nam eadem natura non potest propriè de eodem dici denominatiuē & substantialiter. Respondeo Negando Consequentiam: dicitur enim *humanatus*, non ab humanitate nudè; sed ab vñione seu assumptione humanitatis, quasi humanitate induitus. Dicitur autem homo immediatè ab humanitate: vnde non est omnino idem abstractum. Addo; Est singulare in hoc mysterio, vt idem possit dici denominatiuē & substantialiter: quia hypostasis diuina alienam naturam sibi substantialiter astrinxit.

D V B I V M . IV.

*Vtrum hac propositio (Deus est homo) sit in materia contingenti, an necessaria?*

B<sup>6</sup> Onauentura, Scotus, Durandus & Gabriel in 3. d. 7. dicunt esse contingentem. D. Tho. autem a. 2. dicit esse in materia necessaria & naturali. Vtrumque verum est. Si enim Deus secundum sua intrinseca consideretur, sic hæc propositio *Deus est homo*, est contingens: Nam Verbum liberè assumpsit humanam naturam, & nullâ naturali necessitate in ea subsistit. Item, subiectum non est de ratione attributi, nec contrà; quod tamen ad propositionem necessariam vel naturalem requiritur.

Si autem Deus consideretur vt subsistit in naturâ humana, tamquam quiddam compositum ex naturâ humana & persona diuinâ, quod significatur nomine Christi; sic est necessaria, & in materia naturali: Nam est prædicatio speciei de suo individuo.

Prior sensus est magis proprius, si vocis Deus, significationem & naturalem suppositionem spectes. Si autem vsum huius propositionis, si alter sensus est magis vñitatus: cū enim dicimus Deus esse hominem, per Deum, intelligimus Christum, qui compositus est ex natura humana & persona diuina: & sic intelligendus est D. Th.

Hinc etiam patet, An hæc sit propositio per se, an per accidentem. Est enim propositio per se vera; Si Deus accipiatur pro Christo. Si autem Deus, accipiatur secundum se; sic logice quidem loquendo per accidentem est vera. Physice tamen est per se: Nam est vno non accidentaria, sed substantialis, ex le. qua resultat ens per se vnum. Quare non est absoluted dicendū, quod homo dicatur accidentaliter de Deo; aut quod Deus accidentaliter sit homo.

ARTI-